(5

ITALIAE VETERIS

NVMISMATA

EDIDIT

F. M. AVELLINIVS

PRINCIP. IVVENTVT. INSTITVTOR

SOCIET. ITAL. SODALIS

VOLVMEN I.

cIↃIↃcccvIII.

NEAPOLI

Præsidum venia

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

LECTORI BENEVOLO

Ex quo primum Diarii Numismatici editionem sum aggressus, Italiae veteris numismata in unum corpus colligendi consilium cum Viris Eruditis communicavi, simulque primas operis plagulas ipsi Diario subjiciendas curavi. Dum vero opus illud, quod videbam pluribus e doctis Antiquitatis Cultoribus non minimum probari, quodque tamen, novis undique curis ingravescentibus paullulum intermittere fueram coactus, iterum in manus sumo, atque urgere haud desisto; ecce tibi insperatam nactus sum occasionem cuncta illa etiam, quae edita jam fuerant, ad incudem iterum revocandi, totiusque operis novam, eamque locupletiorem, editionem ex integro adornandi. Quam ego occasionem ratus non aspernandam, Veteris nunc Italiae numismata novo cultu atque δευτέραις φροντίσι recensita Tibi, lector Benevole, repetita hac editione repraesento; qua quid praestiterim, paucis accipito.

I. Numos Italiae veteris adhuc cognitos, quotquot invenire potui, additis passim anecdotis permultis omnes collegi. Dubios, spurios, Goltzianos, incertos omisi; de iis ad operis calcem disserturus.

II. Varietates numorum, quae ex litteris in area, sigillis, magistratuum nominibus, atque id genus aliis constant, cunctas quas novi ex-

hibui, ſed a numorum ipſorum, ad quos referuntur, catalogo ſeparatas.

III. Numo cuique metalli, modulique notas appinxi. Raritatis quoque gradum deſignavi.

IV. Quoniam vidi in priori editione, neque forſan immerito, a quibuſdam culpari nimiam in auctorum locis, e quibus cujuſque numi hauſeram notitiam, indicandis diligentiam, ſolum auctoris nomen ſervavi; cetera rejeci. Auctores vero, quibus maxime utor, ſunt

Arigonianum *Muſeum*.
Begeri Theſaurus Brandeburgicus.
Cimelium Vindobonenſe.
Danielis Numiſmatica Capuana.
Dutenſii Déſcription de quelques médailles.
Eckhelii Opera, i. e. Num. veteres anecdoti, Catalogus Muſei Caeſarei, Sylloge I., Doctrina numorum veterum.
Ennery Catalogue de ſes médailles.
Froëlichii Animadverſiones in quoſdam numos urbium.
Geſſneri Numi urbium.
Gorii Muſeum Etruſcum.
Haymii Theſaurus Britannicus.
Hunteriani Muſei Catalogus.
Ignarrae Palaeſtra Neapolitana.
Khellii Appendiculae ad Geſſnerum.
Lanzii Saggio di Lingua Etruſca.
Liebe Gotha numaria.
Magnan Miſcellanea numiſmatica.
Mazzocchii Tabulae Heracleenſes, & Origini Tirreniche.

Musellianum Museum.
Neumanni Numi urbium.
Olivieri Dissertazioni.
Passeri Paralipomena ad Dempsterum.
Paoli Rudera Paesti.
Pellerin Opera X. voluminibus.
Pembrockianum Museum.
Schachmann Catalogue raisonné.
Schlichtegroll Annalen der numismatik.
Sestini lettere numismatiche.
(Sex priora volumina dumtaxat hov
tera hucusque videre non licuit)
ptio numorum veterum, Classes g
geographiae numismaticae.
Theupolitanum museum.
Wise numophylacium Bodlejanum.
Zelada de numis aereis uncialibus.

Aliique plures. Vsus quoque fuisse opere Clarissimi Mionneti inscripto *I d' une collection de médailles etc.* Pari , 1806 8., quo Parisini Thesauri divitiae in publicum proferuntur, nisi viderem multa esse in eo opere vel in quibus describendis major ἀκρίβεια a viris doctis desideretur; vel quorum αὐθεντία jure possit in dubium revocari.

Anecdoti vero numi quos passim suis locis inserui, praesto mihi fuere precipue e museis

1.) Capyciolatro, seu insigni numorum veterum Thesauro, quem collegit Vir Excell. Josephus Capiciuslatro, Tarentinorum Archiepiscopus, Regi nostro pio felici a Consiliis

Sanctioribus, atque Status, uti appellant, Minister, Vir omni mea laude major, studiorumque meorum, uti & litterarum humaniorum Amplissimus Mæcenas, atque Eruditissimus.

2.) Witzay per totam Europam notissimo. Id enim mihi concessit nobilissimus, aeque ac humanissimus ejus musei possessor, ut numorum ἀνεκδότων, quos in suis scriniis servat, ectypa mecum communicaret, ut ii vel in Diario numismatico vel in hoc opere ederentur.

3.) Arditi, sive Cl. atque doct. Eq. Michaelis Arditi; cujus in rem litterariam merita norunt Eruditi omnes, in me vero peculiaria nunquam satis dicendo assequi possim, 4.) Minervinio, quod fuerat olim Ab. Cyri Xaverii Minervinii, & 5.) tandem peculiari Museolo, quod in meum usum comparavi.

V. Notas in quosdam numos in inferiorem paginarum marginem amandavi. Opus denique claudit Notita generalis numorum Italiæ, qua 1.) de eorum epigraphe, 2.) typis, 3.) pondere, valore, ac raritate breviter est disputatum.

Tu interim, lector, valeas, meque benevolentia tua prosequaris, qua fretus invidiæ voces, atque eorum calumnias, quos *saeros studiorum* recte dixeris, quibusque, si Plautum audias,

Istbis est thesaurus in lingua situs,
Vti quæstui habeant male loqui:

tutus contemnam.

Scripsi Neapoli XIII Kal. Majas A. R. S. CIↃIↃCCCVIIII.

ITALIAE VETERIS
NVMISMATA
COLLECTA ATQVE ILLVSTRATA

PARS I.

QVAE SVPERIORIS ITALIAE NVMISMATA COMPLECTITVR

ITALIA SVPERIOR.

Italiam totam bifariam dividimus Superiorem eam partem appellamus, quæ ab Alpibus ad Campaniæ fluvium Lirim usque procurrit, quæque Venetiam, Etruriam, Vmbriam, Picenum, Vestinos, Marrucinos, Latium, Samnium, partemque Campaniæ complectitur; cujus regionis numos exhibemus servato fere in omnibus ordine Eckheliano.

VENETIA.

ACILIVM.

1. Caput juvenile pileo Phrygio laureato ornatum.
AKI. Diota racemis dependentibus. Ae. 3. *Hunter*

2. Idem numus, sed aversa in corona. Ae. 3. *SestiniDes.*

3. Caput adversum barbatum nudum AKIΛIΩN. Diota. Ae. 3. *Pellerin.*

ETRVRIA

CAMARS.

1. KAM (litteris etruscis) Aper currens; pone vir sinistra elata, in

---

ACILIVM. Obscura Venetorum urbs, de qua vix veteres. Numi qui ad eam referuntur AE. tantum RRR. Eos tamen alio amandandos esse recte suspicatus videtur Eckhelius. Sunt enim toto coelo ab Italicae monetae genio diversi.

Numi Ticini, et Ravennae pertinent ad numos inferioris aevi.

CAMARS. Illustris Etruriae urbs, Clusium deinde

area tres globuli.

KAM. (literis etruscis) Aper currens; pone tres globuli. Ae. m. m. *Arigoni*.

2. KA. (litteris etruscis) Aper; infra tres globuli.

RAEV. (litteris etruscis et retrogradis) Aper; pone vir sinistra elata; infra tres globuli. Ae. m. m. *Arigoni*.

C O S A.

1. COZA. Caput Palladis galeatum
.... ZANO. Caput equi frenatum. Ae. 3. *Eckh. Syll.*

2. Caput Martis galeatum barbatum
COSA. Caput equi. Ae. 3. *Eckh. Syll.*

---

de appellata. Livius X. 25. Numi, quos ei tribunt Passerius et Lanzius, sunt ex Aere gravi RRR. Forsan ad hanc quoque urbem referendi sunt copiosi illi anepigraphi, qui aprum currentem ex utraque parte proferunt, quos infra inter incertos exhibebimus. Alterius numi epigraphen Lanzius supplet KAMRAEV, idest *Camaraeum* pro *Camartium*, ut Κυμαιων *Cumanorum*.

COSA. Etrurie urbs, cujus meminit Virgilius Aeneid. lib. X. v. 166. Numi aenei primum editi ab Eckhelio e Museo Borgiano, qui eos RRRR. praedicat. Monente tamen Cl. Sestinio *Descript.* pag. 4. sunt ii RR. Vide

quae

FELSINA.

1. Caput muliebre diadematum; ante L.
FELSV (litteris etruscis et retrogradis) Canis currens: supra. A.Au.3. *SestiniDes.*

GRAVISCAE.

1. Caput Iovis laureatum.
ΓΡΑ. Aquilae duae fulmini in-

---

quae ad eorum typos explicandos erudite, uti solet, habet Lanzius *Saggio* tom. 2. pag. 24. 25. 26.

FELSINA illustris Etruscorum metropolis, uti Plinio dicitur. Numus RRRR., quem ad eam referimus, judicium sequuti cl. Caronnii, qui eum edidit ex museo Witzay *Ragguaglio* tom. 2. pag. 144., Veliae tributus est a Sestinio, qui primus eum edidit atque deinde a cl. Schlichtegrolio, qui illum restituit e museo Gothano *in Annalen der Numismatick Zweiter band* pag. 20.

FAESVLARVM numos, uti satis incertos, omisimus.

GRAVISCAE urbs ad mare, prope Cosam. Numi AE. RR. qui si recte Graviscis tribuun-

tur

sistentes Ae. 3. *Hunter*

2. Caput Iovis laureatum; supra lunulà.

ΓPA. Eadem postica; in area duo globuli; stella intermedia, & lunula. Ae. 3. *Argioni*.

3. Caput idem.

ΓPA. Idem typus; in area lunula & tres globuli Ae. 3. *Eckh. Cat.*

4. Caput idem; pone tres globuli.

ΓPA. Typus idem; in area tres globuli & KPH. Ae. 3. *Pellerin.*

5. Eadem antica.

Eadem postica sed deest KPH, & in area incusum ΘΕΟΔ. Ae. 3. *Pellerin.*

POPVLONIA.

1. Caput juvenile adversum leonis exuviis tectum.

---

rur, solam hanc habemus in Etruria urbem, quae Graece numos suos inscribat. Numos enim KOΣΩN ac FAΔEIΩN ad alias urbes pertinere constat.

POPVLONIA, urbs illustris ad mare. Strabonis aetate delata; cujus anni AR. RRR. AE. RR. Primus eorum lectionem ac patriam detexit Immortalis Vir Mazochius, qui nonnullos ex iis edidit *Saggi di Cortona tom.* 3. Plures mox

Sine epigraphe. Clava. Ar.m.m. *Hunter*.

2, Larva.

Sine epigraphe & typo. Ar. m.m.*Sestini.Desc.*

3. Larva.

Sine epigraphe.Caducei duo.Ar.m.m. *Hunter*.

4. Caput juvenile adversum leonis exuviis tectum; in area X.

Sine epigraphe. Clava. Ar.m.m. *Eckh.N.V.*

5. Larva; pone X.

PVPLANA (litteris Etruscis & retrogradis) Luna, inter cujus cornua tridens; infra X. Ar.m.m*Eckh.* ib.

6. Larva; infra X.

Tridens ut videtur vel potius PVP. in medio numi. Ar. m. m. *Eck.* ib.

7. Larva; infra X.

Sine epigraphe & typo. Ar.m.m. *Eckh.* ib.

8. Idem numus, sed in antica XX. Ar. m. m. *Eckh.* ib.

9. Caput Palladis galeatum.

PVPLVNA (Etrusce & retrograde) Noctua stans; pone duo Astra.

Ae. 2. *Eckh.Cat.*

---

mox dedit Eckhelius ex Museo Etrusco. Epigraghe vel abest, vel scribitur *Pupluna*; solo numo 5. habente *Puplana*.

6. Eckelius in postica tridentem videre sibi visus est. Sed videsis Sestinium. *Descriz. pag.* 4. 5.

10. Idem numus, sed in postica luna crescens, & duo astra Ae.2. *Eckb. N.V.*

11. Caput imberbe adversum leonis exuviis tectum; hinc inde astrum.

Sine epigraphe & typo. Ar.m.m. *Sestini Descr.*

12. Larva; infra duo astra.

PVP. in medio numi Ar.m.m. *Sestini ib.*

13. Caput Mercurii cum petaso alato; retro duo globoli & lunula cum stella.

PVPLVNA. Duo caducei, medio X. Ae.2. *Eckb. N.V.*

14. Caput Palladis galeatum, in arca duo globuli.

Postica ut n. 10. Ae. 2. *Hunter.*

15. Caput Vulcani; pone X. In ipso dei vultu duo globuli.

PVPLVNA. Malleus & forceps, juxta quam quid prominens, fors ferri massa, in medio duo globuli. Ae. 2. *Eckb. N.V.*

16. Caput imberbe laureatum.

Ead. epigr. Clava, arcus, & sagitta cum tribus globulis. Ae.2. *Sestini descr.*

---

15. De cultus Vulcani caussa, quem numus hic Populoniae aliique significant, videndus Mazochius.

17. Caput Vulcani ; pone X·, ante tres globuli.
Ead. epigr. Malleus cum tribus globulis. Ae. 2. *Sestini* ib.
18. Caput idem ; pone X.
Ead. epigr. Malleos & forceps ; in area quatuor globuli. Ae. 2. *Eckh. N.B.*
19. Caput barbatum ; pone X. & duo globuli.
. , LVNA. Arundo ut videtur, aliquid rotae quadripartitae simile et quatuor globuli. Ae. 2. *Passeri*.

TELAMON.

1. Caput Iani intra duos globulos. TLA (litteris Etruscis et retrogradis) Prora navis. Ae. 2. *Olivieri*.
2. Caput galeatum ; in area globulus.
Eadem postica ; in area lunula Ae. 2. *Lanzi*.
3. TLA. Caput barbatum diadematum ; in area quatuor globuli.
Eadem postica ; in area quatuor globuli. Ae. 2. *Lanzi*.

---

19. Hunc numum perperam Lunae Etruscorum urbi tribuerant Guarnaccius & Passerius.
TELAMON. Dicta a Telamone Argonauta iuxta Diodorum lib. IV. Numi AE. RRR.

ETRVRIA

VOLATERRA.

1. Capui Iani bifrontis pileo tectum.
FELATHRI (litteris Etruscis & retrogradis) Duo globuli Ae. 1. *Hunter.*
2. Idem numus, sed in postica clava inter duos globulos Ae. 1. *Arigoni.*
3. Idem numus, sed in postica tres globuli. Ae.m.m. *Zelanda.*
4. Idem numus, sed in postica clava inter tres globulos. Ae.m.m. *Hunter.*
5. Idem numus, sed inpostica clava inter quatuor globulos Ae.m.m. *Zelada.*
6. Idem numus, sed abest clava. Ae. m. m. *Zelada.*

VOLATERRA. Ad hanc urbem, de qua Livius lib. XXVIII. cap. 45. aliique plures, spectant ex mente Lanzii atque Eckhelii numi FELATHRI inscripti. Maluerunt tamen nonnulli Velitras. Caput Iani in iis modo barbatum occurrit; modo imberbe; modo altera facie barbata, altera imberbi, de cujus typi ratione vide Clar. Lanzium. *Saggio* tom. 2.

7. Caput idem.
Eadem epigr. Clava, pone I. Ae. m. m. *Hunter*.
8. Idem numus sed pone clavam
luna crescens. Ae. m. m. *Pembrock*.
9. Idem caput.
Eadem epigr. Delphin. Ae. m. m. *Hunter*.
10. Idem numus, sed in posticae area I. Ae. m. m. *Hunter*,
11. Caput idem,
Eadem epigr. Clava, in area II. Ae. m. m. *Zelada*,
12. Idem numus sed abest clava. Ae. m. m. *Zelada*.
13. Caput juvenile laureatum.
Eadem epigr. Delphin. Ae. 2. M. Witzay.

VMBRIA.

ARIMINVM.

1. Caput barbatum pileo conico tectum.

---

13. Hunc numum primus edidi ego *Giornal. Numismat.* pag. 17. tab. 2, fig. 2.

ARIMINVM urbs maritima fluvio cognomini adsita. Numi AE. RR., in quorum antica Vulcani caput agnoscit Eckhelius, Vlissis Khellius, quem in postica quoque videre poterat eodem cultu ac describitur a Mente Οδυσσ. Α. v. 255. seqq.

Ει γαρ νυν ελθων δομου εν πρωτησι θυρησι
Στ.

ARIMI. Vir galeatus gradiens d. haſtam, ſ.ſcuto longiore fere obtectus, e quo aliud haſtile prominet. Ae.3. *Eckb. N. V.*

2. 3. Similes, inſcripti ARIM. ARIMNO. Ae. 3. *Eckb. N. V.*

4. Caput idem.
ARIM. Rana. Ae. 3. *Seſtini Deſcr.*

IGVVIVM.

1. Aſtrum ſolis, inſtar rotae.
IKVVINI. (Etruſce et retrogra-

B

Σταιη, εχων πηληκα, και ασπιδα και ΔΥΟ ΔΟΥΡΕ

Τοιος εων, οιον μιν εγω ταπρωτ' ενοησα

Οικῳ εν ἡμετερῳ κ. τ. λ.

Si enim nunc veniens (Vlyſſes) *aedium in primis foribus*

Staret, habens galeam et ſcutum et BINAS HASTAS,

Qualem ego primum ipſum conſpexi

In noſtra domo etc.

IGVVIVM urbs mediterranea, Etruſcis tabulis ibi effoſſis, quas Iguvinas vocamus, illuſtris. Numi ejus ex Ære gravi ſunt omnes RRR., quorum tres priores edidit Paſſerius, quartum nos addidimus *Giornal. Numiſmat.* pag. 1. tab. 1. fig. 1.

de) Luna inter quatuor ſtellas, et aſſis nota. Ae.m.m. *Paſſeri*

2. Eadem antica.
Ead. epigr. Luna. Ae.m.m. *Paſſeri*

3. IKVVINI. Aſſis nota in area.
Luna; in area duae ſtellae et cuſpis. Ae. m. m. *Paſſeri*

4. Eadem epigraphe. Ramus.
Duo globuli in area. Ae.m.m. M. Witzay.

PISAVRVM.

Numus Graecus.)

1. Caput adverſum juvenile galeatum
. . ΣΑΤΡ . . Cerberus gradiens
Ae. 3. *Pellerin.*

PISAVRVM, urbs ad mare. Numi ejus tum Greci tum Italici ſunt AE. RRRR. Numus Graecus firmare videtur Graecos hujus urbis editos a Goltzio, quibus unum ſimilem, quamquam deleta epigraphe, edidit quoque Auguſtinus Dialog. pag. m. 174. verſionis Italicae; ſpurium tamen fortaſſe, eumdem enim ſuſum habuit Oliverius. Eckhelio videntur numi Graeci ante Etruſcos ſignati; ego vero, ſpectata forma Etruſcorum, ac mole, hos potius crede-

Numi Italici)

2. Caput Herculis laureatum ; pone I.
ΠΙS (retrograde) Cerberus, infra I
Ae. m. m. *Olivieri*

3. ΠΙS (retrograde) Caput barbatum diadematum ; pone quatuor globuli .
ΠΙS (retrograde) . Vas , immi-
nente botro ; pone quatuor globuli . Ae. m. m. *Olivieri*.

TVDER.

1. Caput Jovis barbatum laureatum.
TVTERE (litt. Etr. et retrogr.
Aquila . Ar. 3. *Hunter*

2. Idem numus, sed Ae. 3. *Hunter*

TVDER , nobilis urbs mediterranea , cujus ingens superest numorum copia , omnium AE. atque C. Habemus tamen et Argenteum , qui inter prestantissimos recensendus , dum modo sit antiquus , de quo dubitare videtur Eckhelius . Sed praeter Passerium *Pictur. Etrusc.* tom. III. pag. 78. , ejus αὐθεντίαν firmat quoque gravissimum Cambii testimonium , quod Eckhelio , dum illa scriberet , memoria forsan excidit .

3. Caput Panos vel Sileni cornigerum.
Eadem aversa. Ae. 3. *Arigoni*
4. Caput idem.
Ead. ep. Cornucopiae. Ae. 3. *Sestini Desc.*
5. Caput Mercurii pileo tectum ad d.
Ead. ep. Scropha cum tribus suculis. Ae. 3. *Passeri*
6. Caput Bacchi.
TV. Tripus. Ae. 3. *Passeri*
7. Diota.
TV. . . . E. Cuspis. Ae. 3. *Arigoni*
8. Diota.
TV. Cuspis, in area globulus. Ae. 3. *Pembrock*
9. Diota, supra globulus.
Eadem postica. Ae. 3. *Hunter.*
10. Vncia cum rana et testudine: epigr. TV. Ae. *Passeri*
11. Vncia cum uvae racemo et lancea: ead. epigr. Ae. *Passeri*
12. TV. Tridens, in area globulus.
Cicada, in area globulus. Ae. 3. *Arigoni*

---

3. Begerus primus hunc numum edidit *Thes. Brandeb* tom. III. pag. 75., epigraphe tamen perperam lecta.

13. Caput Panos vel Sileni, in area globulus.
TVTERE. Aquila stans.
Ae. 3. *Eckh. Cat.*

14. TV. Ancora, in area duo globuli.
Rana, in area globulus et V. Ae. 3. *Arigoni*

15. TV. Testudo, in area duo globuli.
Rana. Ae. 3. *Arigoni*

16. TV. Tridens, in area duo globuli.
Cicada, in area duo globuli. Ae. 3. *Arigoni*

17. TV. Ancora, in area tres globuli.
Rana, in area tres globuli. Ae. 2. *Zelada*

18. Idem numus, sed pone ranam desunt globuli. Ae. 2. *Hunter*

19. Manus cestu armata, in area quatuor globuli.
TVTERE. Duae clavae, in area quatuor globuli. Ae. 2. *Pembrock*

20. Al. sed scriptum TVTENE.
Ae. 2. *Arigoni*

21. Triens cum Aquila et Cornucopiae. Ae. *Passeri*

22. TVTERE. Canis dormiens.
TVTERE. Lyra, in area lunula.
Ae. 1. *Pembrock*

23. Idem numus, sed deest lunula. Ae. 1. *Eckhel Cat*

24. Ead. antica.
Sine ep. Eadem postica, in area lunula. Ae. 1. *Hunter.*

25. Ead. antica, in area lunula.
Eadem postica. Ae. 1. *Arigoni*

26. Eadem antica.
TVTER. Lyra, in area lunula. Ae. 1. *Arigoni*

27. TVTERE. Aquila ad s., supra lunula, et inter pedes lunula.
Sine epigr. Cornucopiae racemis dependentibus, in area lunula. Ae. 1. *Arigoni*

28. Assis cum typo Aquilae et Cornucopiae. Ae. 1. *Passeri*

29. Lunulae tres in triangulo positae, intermedia quadam figura, in ambitu duodecim globuli.
TVTERE. Inter rotae fulcra, ut videtur. Ae. m. m. *Sestini lett.*

---

24. Lunulam in hoc numo perperam pro lyrae plectro traduxisse videtur Catalogi Enneryani auctor pag. 129.

29. Insignis hic as, a cl. Sestinio primum editus, nova admodum ratione duodecim globulos pro consueto I exhibet.

De numis Tudertium pluribus dissertaturus fuerat Passerius in opere quod meditabatur. V. ejus Paralipomena pag. 176.

PICENVM.

ANCON.

1. Caput muliebre laureatum
ΑΓΚΩΝ. Manus cum cubito tenens lauri ramum, in area duo astra.
Ae. 3. *Hunter*
2. Eadem antica, in area M.
Eadem postica. Ae. 3. *Eckh. Cat.*

HADRIA.

1. H. In area numi.

B 4

ANCON Graeca urbs a positu, quem Mela descripsit, sic appellata. Graeci enim Αγκωνα vocabant terrarum flexum, capta ab humano cubito similitudine. Orph. Argon. v. 752. τρηχυν δ' αγκωνα Σινωπης.

Caput anticae Veneris esse persuadent versus Catulli *Carm.* 36. Numi AE. RRR.

HADRIA in Piceno. Fuit quidem in Gallia Cisalpina urbs alia cognominis, sed ad nostram Piceni numos HAT inscriptos spectare judicant Maffejus, Lanzius, Eckhelius: Sunt ii omnes ex aere gravi RR.

1. Sic describitur hic numus a Combio. Sestinius tamen *Descr.* pag. 7. legendum in po-

A. Serpens, vel aliud ſimile. Ae. 3. *Hunter*
2. Ancora.
HAT. Globulus in aera numi. Ae. 2. *Zelada*
3. Gallus gallinaceus st. ad ſiniſtram, in area duo globuli.
Pes humanus. Ae. 1. *Zelada*
4. Piſcis ignoti generis, infra tres globuli.
HAT. Delphin. Ae. m. m. *Hunter*
5. Similis, ſed in area poſticae tres globuli. Ae. m. m. *Zelada*
6. Caput ſenile imberbe ad ſin., in area quatuor globuli.
HAT. Diota. Ae. m. m. *Arigoni*
7. Caput muliebre ad ſin., in area quatuor globuli.
Ead. averſa. Ae. m. m. *Paſſeri*
8. Caput muliebre laureatum ad ſin., in area quinque globuli.
Ead. averſa. Ae. m. m. *Gori*
9. HAT. Caput muliebre e concha prodiens ad ſin.
Pegaſus ad d., infra quinque globuli. Ae. m. m. *Zelada*
10. Ead. antica.
HAT. Pegaſus volans, in area ſex globuli. Ae. m. m. *Paſſeri*.

ſtica arbitratur AS, atque hinc conjicit poſſe ad concordiam quamdam pertinere inter Adriam atque Aſculum, ambas Piceni Civitates.

11. Caput barbatum adversum corona redimitum.
HAT. Lupus dormiens. Ae. m m. *Zelada*.

12. HAT. Caput idem.
Ead. postica. Ae. m. m. *Hunter*.

13. Al. similis, sed in area posticae I. Ae. m. m. *Zelada*.

14. Sine epigr. Caput id. in area L.
Ead. postica. Ae. m. m. *Gorius*.

VESTINI.

1. Caput Palladis galeatum adversum.

---

11. Lupi hujus vel canis dormientis typum, cujus ignota est ratio, vidimus et supra in numis Tudertium. Ex hoc typo conjecerat Wachterus numos hosce ad Adranum Siciliæ urbem pertinere ab Adrano Deo appellatam, cui canes sacri putabantur.

Hadriae numorum inscriptio modo est retrograda TAH, modo recto ordine litterarum HAT.

VESTINI veteris Italiae populi ad superum mare Sabinis Marrucinisque finitimi. Numos AR. AE. RRRR. edidit Lanzius. Argenteum restituit Sestinius, qui mallet tamen Vesciae atque Minturnis Campaniae Latiique oppidis tribuere. Ego Lanzii sententiam lubentius amplector; nullam enim in iis cum ceteris Latii Campaniaeque numis typorum vel fabricae affinitatem deprehendo.

VES. MI. (litteris Etruscis, & retrogradis) Luna, cui imminet astrum. Ar. m. m. *Sestini Des.*

2. Caput vituli.

VES. Idem typus. Ae. m. m. *Lanzi.*

MARRVCINI

TEATE.

V. infra inter numos Apuliae.

LATIVM.

ALBA.

1. Caput muliebre galeatum.

ALBA. Aquila fulmini insistens. Ar. 3. *Pellerin*

ALBA. Binae sunt hoc nomine, in Latio altera, ab Ascanio condita, *longa* appellata, altera ad Fucinum, unde dicta est *Fucentia*. Ad utram referendi sint numi AR. RRR.

AL.

2. Caput Mercurii cum petaso.
ALBA. Gryphus alis expansis Ar. 3. *Sestini Des.*
3. Caput idem
ALBA. Pegasus volans. Ar. 3. *Dutens.*

AQVINVM.

1. Caput Palladis galeatum.
AQVINO. Gallus stans; in area stella. Ae. 3. *Sestini Des.*

CAIETA

1. Caput Palladis galeatum.

ALBA inscripti, non satis compertum.

3. Numum hunc eumdem esse ac secundum contendit Sestinius, pegasumque perperam pro grypho putat descriptum. Sed tamen, quamquam in omnibus, quos ego viderim, gryphum perpetuo invenerim, pro pegaso satis fuerit advocare gravissimum cl. Caronnii testimonium qui illum in Albae numo nuper exhibuit. *Ragguagl.* tom. II. pag. 172. tab. 12. fig. 63.

AQVINVM. Mediterranea urbs in Volscis. Numi tantum AE. RRR. Typus pluribus Latii Campaniaeque urbibus communis.

CAIETA urbs Ausonum, quam ab Aeneae nutrice appellatam fabulatur Virgilius.

Tu quoque littoribus nostris Aeneia nutrix
Aeternam moriens famam, Cajeta, dedisti.

CAIATINO. Gallus stans; in area stella. Ae. 3. M. Vitzay.

SIGNIA.

1, Caput Mercurii cum petaso; ante Caduceus.
SEIG. Caput Sileni cum apri ca-

Numum anecdotum atque insignem, quem e Museo Witzay nunc edo, quique extat quoque in Museo A. V. Vbaldi Bellinii, ea potissimum de caussa *Cajetae* tribuo, quod Graecis scriptoribus eam urbem appellari video Καίαττα, unde facile descendit gentile *Cajatinus*, quod numus exhibet. Olim placuerat uni e duobus Campaniae *Calatiis* tribuere, quae fortasse *Cajatia* dicta est ab indigenis, et sane dicitur nunc quoque *Cajazzo*. Sed nunc Cajetam praefero. Typus est e genio numorum hujus egionis, convenitque praesertim cum numis Calium, qui et ipsi Ausones fuere. Numus AE. RRRR.

SIGNINORVM numos primus edidit Sestinius. Typum posticae difficilis vel incertae significationis, conspexi quoque in nonnullis gemmis. Sunt AR. RRRR.

pite conjunctum ; in area astrum . Ar. 3. *Sestini lett.*

2. Idem numus ; sed in posticae area clava . Ar. 3. *Sestini lett.*

3. Idem numus, sed in posticae area lunula . Ar. 3. M.Avellino

SAMNIVM

AESERNIA.

I. VOLCANOM. Caput Vulcani imberbe , pileo laureato tectum; retro forceps.

AISERNINO . Jupiter in bigis fulmen dextera intorquens , s. equorum habenas . Ae. 3. *Hunter* .

2. Similis, sed praeterea in postica Victoriola volans equos coronans . Ae. 3. ibid.

AESERNIA urbs in Samnio , olim nobilis , aetate Strabonis obscura (*lib. VI.*) Romanorum Colonia vel ab initio primi Punici belli . *Vellej. lib. I.* Numi AE. tantum RRR., latine inscripti sunt omnes , quamquam saepissime ab eorum editoribus , nescio quo fato , graecis litteris expressa fit epigraphe. Dicemus de ea in dissertatione *de epigraphe numorum Italiae* .

3. VOLCANOM. Caput idem.

AIΣERNI. Jupiter nudus gradiens d. elata fulmen intorquens, s. parvam figuram sustinet, ut videtur. Ae. 3. *Sestini Des.*

4. AISERNIN. Caput Palladis galeatum; retro clava.

Sine epigr. Aquila serpentem unguibus stringit. Ae. 3. *Eckhel.Cat.*

5. Caput Apollinis laureatum.

---

3. Cl. Sestinius primus hunc numum edidit: In postica forsan legendum AISERNI, ut in aliis.

4. Sic describitur hic numus ab Eckhelio; ego vero in iis, quos vidi, AISERNIΘ scriptum perpetuo deprehendi. Posticae typus in memoriam revocat pulcherrimos Virgilii versus Aeneid. XI. 751. seqq.

Utque volans alte raptum quum fulva draconem
Fert aquila, implicuitque pedes, atque unguibus haesit;
Saucius at serpens sinuosa volumina versat
Arrectisque horret squamis & sibilat ore
Arduus assurgens; illa haud minus urget adunco
Luctantem rostro; simul aethera verberat alis.

5. Cl. Ignarra, qui hunc numum edidit, in ejus descriptione habet AIΣEPNINΩN,

AISER NIN. Bos humana facie ad d., coronante & supervolante Victoria. Ae. 3. *Ignarra*.

6. Caput idem; pone clipeus. Eadem postica, infra bovem IΣ. Ar. 3. M.Avellino.

7. AISERNINO. Caput idem. Eadem postica; infra bovem T. Ae. 3. M.Avellino.

ALLIFAE.

1. Caput juvenile laureatum inter pisciculos.

---

quamquam in ectypo exhibuerit AISERNIN, quo pacto revera legendum esse nullus dubito.

7. Affinem numum edidit Bentinck *tom.* 2. *pag.* 958. Tète d'Apollon. AΣEPNINO)(le Minotaure; la Victoire volante. Tum Begerus *Thesaur. Brand. tom.* 1. *pag.* 356. AIΣEPNINO. Caput Apollinis laureatum)(Bos humana facie ad d. inter crura NI. Ae. 3. Sed numus uterque vel idem est ac noster, vel certe epigraphe perperam pro AISERNINO exhibetur. — Hunc numum atque superiorem edidi ego *Giornal. Numismat. Num.* 3. *pag.* 33. *Tab.* 3. *fig.* 1. 2.

ALLIFAE urbs Samnii a Romanis capta A.V.429. teste Livio lib.VIII. Numi dubii

ΑΛΑΙΒΑΝΩΝ. Triton; infra concha Ar. 3. *Pellerin.*

BENEVENTVM.

1. BENVENTOD. Caput Apollinis laureatum.
ΠROΠOM. Equus currens, supra pentagonum. Ae. 3. *Sestini Des.*

AR. RRR., quos nonnulli Alaesae Siciliae urbi tribuerunt.

BENEVENTVM, ante *Maleventum* appellata. Numi AE. RRR. Typus posticae, uti praeclare observat Eckhelius, convenit cum Salapiae atque Arporum numis, quae eumdem ac Beneventum conditorem Diomedem habuerunt. Eckhelius legendum in postica conjecit ΠROROM, ut in numis Suelsae. Sed recte testatur Sestinius veram lectionem esse ΠROΠOM in numo luculentissimo, qui extat in Museo Viri Insignis, atque Rei Veterum Numariae, si quis alius; consultissimi R. P. Henrici Sanclementii; quem numum integerrimum A. 1807., quum Romae versarer, non sine maxima voluptate conspexi ejusdem Ill. Sanclementii comitate, qui mihi gazam suam omnem tot divitiis instructam brevique ab eo evulgandam benignissime dignatus est ostendere.

1. ΜΤΡΓΑΝΤΙΑ. Caput Apollinis laureatum.
Bos humano capite; ſupra fulmen.
Ae. 2. *Ignarra*.

NVMI SAMNITICI MARSICO BELLO CVSI.

1. C. MVTIL. litt. oscis et re-
C

MVRGANTIA, cuius mentio apud Livium. Veterem urbis ſitum egregie e vetuſto lapide reſtituit Amicorum Selectiſſimus I. A. Caſſitus. V. *Giornal.Civic.Napolet.* pag.281.Numus AE.RRRR. extitit quoque in Muſeo Pellerinii, a quo editus eſt *Supplem. tom.* 3. *pag.* 95.

NVMI MARSICO BELLO CVSI. Omnes hujus generis numos collegit Eckhelius, *Doctr. Tom.* I. *pag.* 103. *ſeqq.* e quo hic exhibuimus. De nobili eorum argumento conſulendi ſunt praecipue CII. VV. Oliverius, Swintonus, Eckhelius. Mox plura atque accuratiora de iis daturus eſt Vir Doct. Archangelus Lupolus Pelusianae Eccleſiae Epiſcopus, veteris illius Mazochianae eruditionis, ut ita dicam, ex aſſe heres, in noviſſima editione praeclari ejus *Commentarii in mutilam veterem Corfinienſem inſcriptionem*.

1. Cajus Mutilus, quem hic numus memorat, & cu-

trcgr. Caput muliebre galeatum.

SAFINIM. Miles ſtans juxta bovem humi procumbentem, d. haſtam, s. parazonium; in area A. Ar. *Olivieri*

& cujus in ſequentibus quoque nomen occurrit, unus fuit e Samnitium Imperatoribus Marsico bello, de quo Vellejus lib. II. aliique. In poſtica Sabinorum nomen, quos eoſdem eſſe ac Samnites e Strabonis lib. V. ſatis conſtat, vocabulo SAFINIM deſignatum putant eruditi; typumque explicant ex ipſius Strabonis narratione, qui Sabinos oraculi juſſu, magna annonae caritate, liberos ſuos Diis dicaſſe ait, quos quum poſtea adultos ad coloniam deducendam proficiſci juſsiſſent, hi tauro duce, in eam devenere regionem, quam poſtea Samnites, ab iis ſcilicet orti, occupaverunt, Sed deliteſcit fortaſſe in vocabulo SAFINIM κυριον τι ονομα; in proximis enim Frentanis Safiniam familiam extitiſſe patet e Cicerone qui C. Safinium Larinatem memorat, orat, pro Cluentio Cap, 25. Typus vero genium Italiae fortaſſe deſignat, cujus regionis nomen a juvenco deductum fuiſſe credebatur, uti Dionyſius loco mox citando docebit; vel adluſum fortaſſe ad *Boviani* celebris Samnitium hujus belli tempore oppidi nomen, quod a bove quoque deductum videtur.

12. Alius sed in area B. inversum. Ar. *Eckh.* Doct.

13. VITELIV. Caput muliebre laureatum cum inauri, & monili.

Typus aversae similis. Ar. *ibid.*

14. ad 13. Idem numus, sed in imo posticae litterae variantes A. B. C. F. I. M. N. Ψ. R. H. Ar. *Pellerin Minervin.*

14. Alius, sed scriptum osce & retrograde VITELIVD. Ar. *Swinton*

15. Eadem antica.

NI. LVVIIMR. Idem typus. Ar. *ibid.*

---

3. Hujus numi epigraphen aliter alii explicant. Eckhelius post Swintonum Vitellium quemdam Samnitium ducem, cujus tamen altum penes historicos est silentium, ea credidit designari. Rectius Lanzius aliique *Italiam* explicare malunt. Hanc enim regionem a vetusta Graeca appellatione Ιταλος, quae Taurum denotabat, nomen sortitam olim fuisse docet Varro de R. R. II. 5. Gellius noct. att. XI. 1. Festus in Italia, ceteri. Ex Ιταλος vero, si apponatur digamma Aeolicum, fit Ϝιταλος, unde uti latinorum *Vitulus* profluxisse videtur, sic et *Vitelia* vel *Vitalia*, quod postea dictum est *Italia*. Solemne vero populis hujus regionis olim fuit aeolicum digamma verbis a vocali incipientibus praeponere, quod de

16. MVTIL. EMBRATVR. Caput muliebre galeatum.

C. PAAPI. Vir genuflexus porcam sustinens, quam duo milites

---

de Sabinis, unde scilicet orti Samnites, testatur disertis verbis Varro de L. L. lib. IV. *hircus, quod Sabini fircus, & quod illic foedus in latio rure hoedus*. Sed rem omnem conficit unus Dionysii locus, qui quum lib. I. ex Hellanico Lesbio Herculem dixisset quum Geryonis boves per Italiam abigeret, juvencum quemdam ab armento resilientem persequutum fuisse; illum subdit ἀπὸ τοῦ ζώου, τὴν χώραν ὀνομάσαι πᾶσαν, δι᾽ ἧς ὁ δαμάλις διῆλθεν, Οὐιταλίαν, *totam Regionem, qua juvencus pertransierat, Vitaliam appellasse*. Haec omnia miror Eckhelii ἀκρίβειαν effugisse. Italiae vero nomen galeato capiti num. 19. apponi, non mirum; namque et eo cultu potuit Italia, quae tum pene tota contra Romanos in acre bellum exarserat, indicari.

16. Redit in hoc numo Papii Mutili mentio. Dicitur hic *Embratur*, i. e. latine *Imperator*. Auticae caput galea cristata insigne verba illa L vii in memoriam revocat *lib.* IX. *cap.* 40., qui Samnitium πανοπλίαν describens, sic habet; *galeae cristatae, quae speciem magnitudini corporis adderent*, V. Oliverium. In aversa sollemnis foederis ritus e vetustis scriptoribus sat cognitus, exhibetur,

hastati bacillo contingunt. Ar. *Olivieri*

17. Eadem epigr. Caput mulie-
bre hedera coronatum.

Ead. epigr. Taurus furens, croco-
dilum sternens. Ar. *Dutens*

18. MVTIL. Caput muliebre ga-
leatum alatum.

---

17. Numus primum editus est a Pembrockio, restitutus deinde a Dutensio, & nuper quoque a Cl. Schlichtegrollio *Annalen der numismatick erster band*. Viderat in eo Swintonus; qui tamen illum ex solis tabulis Pembrockianis noverat, taurum atque canem informem; Dutensius Crocodilum, quem sequutus Eckhelius numum difficilis esse explicationis ingenue confitetur. Namque uti demus tauro populos Italicos voluisse indicari, quid crocodilo cum Romanis? sed opportune monet Schlichtegrolius, neque Canem, neque Crocodilum inibi requirendum esse, sed lupum, vel lupam fortasse; quod si verum, jam plana erunt omnia. Tauro enim Samnites, lupa Romani designantur. Accedit quod et Consul Romanus, qui contra Samnites infelici marte pugnavit, Rutilius Lupus appellabatur. Vide haec pluribus apud ipsum Schlichtegrolium l. c.

18. Aversae typus captus est e numis gentis Serviliae.

C. PAAPI. . . Dioscuri in diversum equitantes . , Ar. *Olivieri*.

19. VITELIV. Caput muliebre galeatum ; pone X.

C. PAAPII. C. Vir genuflexus porcam sustinet ; quam milites duo hinc, duo inde stantes bacillo contingunt . Ar. *Swinton*.

20. Caput muliebre laureatum . Vir genuflexus porcam tenet , quam adstantes octo milites bacillo contingunt ; infra IIII. Ar. *Olivieri*.

21. Al. similis, sed infra AX. Ar. *Sestini* desc.

22. Al. similis, sed infra IAX. Ar. *Olivieri*.

23. Al. similis sed infra IIIAX. Ar. M. Capecel.

24. Caput muliebre laureatum ; pone X.

---

21. 22. In his numis Oliverius atque Sestinius exhibuerunt PAX et AX ; quae vocabula negotium merito facessebant. Sed audacter emendavi IAX atque AX, id est XVI atque XV, fidem secutus numi 23. anecdoti e Museo Capyciolatro qui nitidissime exhibet IIIAX idest XVIII. Adde quod et imani numi 20. partem numeralis notae IIII occupat.

24. Numi hi quamquam latinis litteris inscripti, Samniticis omnino sunt accensendi : cujus enim es-

ITALIA. Mulier armis insidens d. hastam, coronatur a Victoria retrostante, in area C. Ar. *Pellerin.*

25. Al. similis, sed in area E inversum. Ar. *Swinton*

26. ITALIA. Caput idem.
Typus ut n. 20, sed infra C. Ar. *Pellerin.*

FRENTANI.

I. FRENTREI. litteris Oscis et retrogradis. Caput Mercurii cum petaso.
Ead. ep. Pegasus volans; infra tripus. Ae. 2 *Sestini.*

esse eos belli marsici tempore probat epigraphe Italia, qua foederati contra Romanos populi designantur. Sed qua tandem de caussa ex his numis osce alii, alii latine inscribuntur? Istud quidem explicatu difficile, sed ideo factum videtur, quod in eorum populorum usum scilicet cuderentur, quorum pars latine, pars osce loquebatur.

FRENTANI, Italiae veteris populi ad mare, Pelignis, Marrucinis, Samnitibusque finitimi. Numi cum totius gentis nomine AE. RRR. saepe editi, corrupta tamen epigraphe, atque hinc modo Pentris tributi, modo inter Campaniae in-

LARINVM.

1\. Caput imberbe laureatum.

LADINOD. Cornucopiae; infra globulus. Ae 3. *Hunter.*

2\. Caput muliebre velatum & spicis ornatum.

Ead. epigr. Delphin; infra duo globuli. Ae. 3. *Hunter.*

3\. Caput Herculis leonis exuviis tectum.

---

certos sunt relati. Eckhelius primus ad Frentanos pertinere suspicatus est, quam conjecturam firmavit editus mox nummus ab Ill. Sestinio. Epigraphe, quam Sestinius legit FRENTRER, ea est, quam nos exhibuimus, in pluribus integerrimis. Vide cl. Romanelli *Scoverte Frentane* pag. 85.

LARINVM Frentanorum urbs ad mare. Mela in Daunia collocat *lib. II. Cap. VI.* Ejus nummi AE. RR. epigraphen constanter exhibent LADINOD, quamquam testetur Eckhelius se in eorum uno apud abatem Chaupy epigraphen LADINOM deprehendisse.

3\. Centaurum pugnantem hoc typo exhiberi censeo. Is enim pro armis arborum ramos pas-

sim

Ead. epigr. Centaurus currens manibus ramum ; infra tres globuli. Ae. 3. *Khell.*

4. Caput Jovis barbatum laureatum.

Ead. epigr. Aquila alis expansis, unguibus fulmen ; infra quatuor globuli. Ae. 3. *Hunter.*

5. Caput imberbe galeatum.

Ead. epigr. Eques armatus cum

---

sim tribuunt veteres poetae. Sic Hesiodus Ασπ. v. 188. eos vocat

χρυσεας ελατας εν χερσιν εχοντας.
aureas abietes in manibus habentes.

et Orpheus Argonaut. v. 167. de Eneo :

τον ῥα τε φασι
Μισγομενον Λαπιθαις υπο Κενταυροισι δαμηναι
Θεινομενον πευκαισι, τανυφλοιοις τ᾽ ελατῃσι.
. . . . . Quem dicunt
Immistum Lapithis a Centauris interfectum fuisse
Percussum facibus & extento cortice abietibus.

Paria habet Apollon. Rhod. Argon. lib. 1. Vide quoque Hygin. fabul. 14. & Iuven. sat. I. v. 11. , qui de Monycho centauro :

Quantas jaculetur Monychus ornos.

Typum eumdem centauri pugnantis exhibent numi Magnesiae Thessaliae apud *Hunter* pag. 165.

et

hasta & clipeo ; infra quinque globuli. Ae. 2. *Pembrock.*

6. LADINOD. Bos humana facie ad sinistram.

Idem bos ad destram. Ae. *Ignarra.*

CAMPANIA.

PARS I.

& *Pellerin Rec. Tom. I.* tab. 27. fig. 27. ubi obiter moneo Chironem agnosci debere, quem scilicet Μαννητα Κενταυρον dixit Pindarus *Pyth. Γ.* Primus hunc nummum Larinatibus tribuit Khellius *Append. II.*

CAMPANIA non Italia modo, sed toto terrarum orbe, Flori judicio, pulcherrima Regio; cujus urbium ac populorum numos omnes tres in familias dividimus, quarum una est urbium, quae trans Vulturnum sitae sunt pone Latium, altera earum quae cis Volturnum procul a mari sunt positae, tertia denique illarum, quae vel a mari alluuntur, vel non multum a littore sunt remotae. Harum primae, ut plurimum, Latinis, secundae oscis, tertiae Graecis characteribus numos suos inscribunt.

PARS I. continet Cales, Sueffam, Teanum, Venafrum, PARS II. Acerras, Calatiam, Capuam, PARS III. Cumas, Neapolim, Nolam, Nuceriam,

CALES.

1. Caput Palladis galeatum.

CALENO. Victoria in citis bigis ad finistram. Ar. *Pellerin.*

2. Similis, sed Ar. 2. *Geßner.*

3. CALENO. Caput Apollinis laureatum; retro clava.

CALENO. Bos humana facie ad dextram; supra lyra. Ae. 3. *Hunter.*

4. Sine epigr. Caput idem.

CALENO. Bos humana facie a supervolante victoria coronatur. Ae. 3. *Eckh.* Cat.

5. Caput Palladis galeatum.

CALENO. Gallus stans; a tergo astrum. Ae 3. *Hunter.*

CALES Ausonum urbs uti patet ex Livio VIII. 16. vini praestantia insignis. Horat. *Carm. lib. I. od.* 26. Gentile *Calenus*. Numi AV. RRRR. AR. R. AE. C.

3. De hoc typo, in numis Campaniae praecipue obvio, dicemus in dissertatione de typis numorum Italiae.

5. Typum hunc in numis hujus regionis urbium frequentissimum, & quem jam supra vidimus in n. Aquini, ex Pausania explicat Eckhelius, qui

Gal-

6. Al. sed scriptum CALENΩ.

Ae. 3. *Beger*

7. Caput Palladis galeatum ad sin.; ante globulus, supra A.

CALENO. Gallus stans; ante A. supra hinc astrum, inde lunula.

Ae. 3. *Sestini* Des.

Varietates numorum Calenorum.

Ad num. 2.

8. Pone bipennis.
Eadem aversa. Ar. 2. *Hunter*

9. Pone clava.
Eadem aversa. Ar. 2. *Sestini* Des.

Gallum avem omnium pugnacissimam Palladi sacram fuisse testatur. Sed quid ad Palladem astrum quod semper gallum comitatur, vel lunula, quae in n. 7. edito jam a Sestinio atque apud me quoque extante conspicitur? Videntur haec omnia explicare Plinii verba, qui sic de gallis; *norunt enim sidera, et ternas distinguunt horas interdiu cantu.* Caussam appositae lunulae dabit, ni fallor, Aelianus *Nat. Animal.* lib. IV. Cap. 29.

6. Sic recte epigraphen exhibuit Begerus, immerito notatus ab Eckhelio. Vide dissertatione m. *de numorum epigraphe.*

10. Pone cornucopiae,
Eadem aversa, Ar. 2. *Hunter*
11. Pone diota,
Eadem aversa, Ar. 2. *Beger.*
12. Pone gladius,
Eadem aversa, Ar. 2. *Hunter.*
13. Pone pharetra, infra Ω.
Eadem aversa, Ar. 2. *Sestini* Des.
14. Pone ramus,
Eadem aversa, Ar. 2. *Pembrock.*
15. Pone X.
Eadem aversa, Ar. 2. *Sestini* Des.

Ad num. 3.

16. Pone cuspis,
Eadem aversa, Ae. 3. *Hunter.*
17. CALENΩ. Pone fulmen,
Sine epigr. Ead. aversa, Ae. 3. *Beger.*
18. Pone galea,
Infra Γ. Ae. 3. *Hunter.*
19. Pone gallus gallinaceus,
Infra Γ. Ae. 3. *Hunter.*
20. Pone gladius,
Infra Δ. Ae. 3. *Hunter.*
21. Pone acrostolium, vel avis ala,
Infra E. Ae. 3. *Hunter.*
22. Pone galea,

Infra H. Ae. 3. *Hunter.*

23. Deest epigraphe, et clava.

Infra M. Ae. 3. *Eckh.* Cat.

24. Deest epigraphe, et clava.

Infra stella. Ae. 3. *Eckh.* Cat.

25. Pone fulmen.

Infra stella. Ae. 3. *Hunter.*

26. Sine epigraphe, et retro astrum.

Supra astrum; infra A. Ae. 3. *Eckhel* Cat.

27. Deest clava.

Supra astrum; infra Δ. Ae. 3. *Sestini* Des.

28. Deest epigraphe, et clava.

Supra astrum; infra Λ. Ae 3. *Hunter.*

29. Pone astrum.

Supra astrum; infra O. Ae. 3. *Hunter.*

30. Pone astrum.

Supra astrum; infra S. Ae. 3. *Eckh.* Cat.

31. Sine epigraphe, et deest clava.

Supra astrum, et infra astrum. Ae. 3. *Wise*;

Ad num. 4.

32. Pone clipeus.

Eadem aversa. Ae. 3. *Eckh.* Cat.

33. Pone clipeus.

Infra H. Ae. 3. *Hunter.*

34. CALENO. Pone N.
Sine epigraphe, et infra N. Ae. 3. *Hunter.*

S V E S S A.

1. Caput imberbe laureatum; pone ala,
SVESANO, Duo equi ad sinistram, quorum alteri insistit juvenis d. palmae ramum tenens, taeniis dependentibus, s. alterius equi habenas. Ar. 2. *Eckh.* Cat.

2. ARBOVM. Caput Mercurii petaso tectum ad sin.
SVESANO. Hercules cum leone pugnans; inter crura clava. Ae. 3. *Pembrock.*

3. ΑΛΟΣΤΑΣ. Caput idem.

SVESSA Campaniae. Fuit urbs alia cognominis Pometia dicta; sed ad nostram Campaniae referendos esse nummos, qui sequuntur, ex illorum cum iis Calenorum, atque Tianensium affinitate patet. Sunt ii ex AR. RR. ex AE. R.

1. Elegans posticae typus *desultorium equitem* ni fallor, exhibet et fortasse ad apollinares ludos pertinet; quod ramus cum taeniis, constans Apollinis symbolum, quod in numis Crotonis iterum occurret, suadere videtur. Caeterum hi numi omnes lucem adhunc desiderant.

Eadem aversa. Ae. 3. *Hunter.*

4. ΠΙ ΚΕΟΤΜ. Caput. idem.

Eadem aversa. Ae. 3. *Sestini* Des.

5. ΠROROM. Caput idem.

Eadem aversa. Ae. 3. *Eckhel* Cat.

6. ΠROROTM. Caput idem.

Eadem aversa. Ae. 3. *Eckhel* Cat.

7. SVESANO. Caput Apollinis laureatum.

Bos humana facie; inter crura Φ. Ae. 3. *Agostini* Dial.

8. Caput idem.

SVESANO. Bos humana facie, coronante et super volante Victoria. Ar. 3. *Eckhel* Cat.

9. Similis, sed Ae. 3. *Theupolit.* M.

10. Caput Palladis galeatum.

SVESANO. Gallus stans; a tergo astrum. Ae. 3. *Hunter.*

Varietates numorum Suessae.

Ad num. 1.

11. Pone astrum.

Ead. aversa. Ar. 2. *Sestini* des.

12. Pone fulmen.

Ead. aversa. Ar. 2. ibid.

13. Pone luna crescens.

Ead. aversa,	Ar. 2.	*Hunter.*
14. Pone noctua.		
Ead. aversa.	Ar. 2.	*Hunter.*
15. Pone triquetra.		
